

cum vera dilectio Dei habetur, veniunt reapse ad animam divinae personae, mansionemque in ea faciunt, nec aliud praeterea requiritur. Quocirca verba Christi: *sermonem meum servabit*, vel non spectant ad conditionem adventus, sed exprimunt id quod naturaliter ad dilectionem consequitur, quocum etiam ad eandem immediate consequitur adventus divinarum personarum, vel si spectant ad conditionem adventus, ea observatio sermonis Dei intelligenda est, quae in ipsa dilectione virtualiter continetur; secus enim probatio quedam dilectionis per opera exspectanda foret antequam divinae personae veniant: et quia nulla est ratio determinans latitudinem huius probationis, res eo tandem adducetur ut dicantur personae divinae venire absoluta observatione legis, h. e. finito stadio mortalitatis, contra id quod Apostolus docet Spiritum S. diligentibus Deum dari nunc.

Atqui talis unio et inhabitatio ss. Trinitatis in anima effectus est et signum amicitiae mutuae iustitiamque in ea supponit, excluso reatu cuiusque culpa mortalis: cum vero illa habeatur existente dilectione: *si quis diligit*: igitur hac existente, iustitia existit in homine, peccato quovis, si quod erat, excluso, Deusque Trinitas amicitiae amore conglutinatur animae, secundum illud Prov. VIII. 17. Ego diligentes me diligo, amore scilicet redamationis, amicitiae.

Eandem doctrinam quae continetur verbis Christi et Apostoli, colligimus ex verbis Ioannis in 4^a epist. IV. 16: Deus caritas est: et qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo. Si manens in caritate manet in Deo, incipiens esse in caritate incipit esse in Deo et Deus in eo, at nequit esse inimicus Dei ille qui manet (unione utique spectante ad ordinem moralem) in Deo, et in quo manet Deus: ergo.

Idem Ioannes ibid. 7. ait. *Carissimi diligamus invicem; quia caritas ex Deo est. Et omnis qui diligit, ex Deo natus est et cognoscit Deum.* Haec autem dilectio, de qua Apostolus loquitur, est dilectio proximi propter Deum, est enim dilectio supernaturalis, quae ex Deo est, est proinde dilectio non secundum legem solam naturae, sed secundum legem Evangelii; est idcirco potissimum dilectio Dei, quae est ratio formalis dilectionis proximi. Quod ergo de dilectione proximi affirmatur, 1) non de quovis amore erga proximum est accipiendum: 2) intelligendum est potiore iure de dilectione Dei. Nam quod de ea praedicatur, propter hanc, quae est eius forma et motivum, praedicatur. Atqui de diligentibus affirmat Ioannes, quod nati sunt ex Deo, h. e. sunt filii Dei; ergo cum dilectione Dei coniuncta est filiatio adoptiva, quae peccatum excludit, iuxta illud cap. III. 9. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non*

facit, quoniam semen ipsius in ipso manet, et non potest peccare;
quoniam ex Deo natus est: nempe quatenus talis est, et manet.

Dices sermonem esse de habitu caritatis, non de actu. Respondeo primum: verba *si quis diligit, omnis qui diligit primo et per se significare actum.* Deinde quoniam heic dilectio spectatur sub ratione meriti, quo quis (congrue quidem) disponitur ad unionem cum Deo; meritum autem per se competit actui, ideo per se et primo verba Scripturae de actu sunt accipienda. Unde et manere in caritate est perseverare pro opportunitate in actibus caritatis, etsi supponatur habitus, a quo actus procedunt.

Praeterea caritas dicitur Coloss. III. 14. vinculum perfectionis συνδεσμός της τελειοτητος. Concedimus quidem ibi sermonem esse directe de caritate erga proximum, sed, ut iam monuimus, non potest praescindi ab amore Dei, qui est ratio amoris proximi et ex quo suam perfectionem mutuatur. *Vinculum perfectionis* vel aquivalet huic: *vinculum perfectum*, vel significat vinculum, quo colligante perfectio habetur. Iam vero si caritas est vinculum perfectum uniens fideles, unio igitur perfecta fidelium per caritatem habetur: unio autem perfecta fidelium tunc est cum ipsi membra viva uniuntur simul Christo capiti. Ii ergo, in quibus existit caritas, sunt membra viva. Si vero caritas est vinculum, quo vinciente aliquos inter se, habetur perfectio τελειοτης christiana, quae non est nisi iustitia et sanctitas: ergo existente caritate erga proximum, quae est amor Dei in proximo, existit sanctitas; ideoque abest peccatum.

Tandem ante novam oeconomiam Evangelii contritio ex caritate concepta erat infallibiliter coniuncta cum remissione peccatorum; ergo eandem efficaciam retinet in nova oeconomia. Probatur antecedens, tum quia erat certe tunc aliquod medium adultis pro impenetranda remissione peccatorum: nullum autem erat medium ex opere operato eam efficiens; ergo erat ex opere operantis, ideoque aliquis actus, et idcirco certe actus praestantissimus sive poenitentia profecta ex praestantissimo actu, quo homo ad Deum converti possit: atqui hic actus praestantissimus est poenitentia ex caritate concepta; ergo aut haec, aut nullum. Quocirca de hac certe accipienda testimonia veteris Testamenti. Deuter. IV. 29. *Cum quaesieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quaesieris et tota tribulatione animae tuae.* (Hebreus nunc legit: invenies eum, si quaesieris eum in toto corde et in tota anima tua. In angustia tua et invenietis omnia verba haec etc. ita ut finis periodi sit post verba: *anima tua.* Hieronymus aliter legit et aptius, ut videtur). Ezech. XVIII. 21. *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis,*

quae operatus est et custodierit omnia paecepta mea et fecerit iudicium et iustitiam, vita vivet et non morietur. Omnim iniquatum eius, quas operatus est, non recordabor. Et cap. XXXIII. 42. *Impietas impii non nocebit ei, in quocumque die conversus fuerit ab impietate sua.* Porro talis conversio et poenitentia est certe ea saltem, quae ex perfecto amore concipiuntur: ergo. Probatur consequentia. Sane 1) quae Deus per prophetas Testamenti Veteris testatus est quaeque ad vitam supernaturalem spectant, ea et filiis Novi Testamenti repetit; ergo ad nos quoque spectat quod per Moysem et Ezechielem Deus promisit. Et re quidem vera, exceptis extrinsecis symbolis et ceremoniis, ea quae ad interiorem hominem pertinent, quaeque in Testamento Veteri locum habebant, ex aequo immo potiore iure spectant ad Testamentum Novum, eius enim propria est interior iustitia et sanctitas ac remissio peccatorum. Cf. Ieremiam XXX. 33. 34. 2) Cum Christiana lex sit lex caritatis, iniquum est arbitrari Christum voluisse minori in pretio haberri caritatem in Ecclesia, quam in Synagoga. 3) Nihil est in oeconomia Christiana, quo videri possit dempta vis haec caritati iustificandi peccatores. Institutio enim Sacramenti poenitentiae novum medium suppeditat pro obtainenda remissione; idque exigit ut omnes teneantur confiteri peccata sua remissionemque directam petere a ministris Christi, cum hac vero obligatione nullo modo repugnat ut quis per contritionem caritate perfectam statim iustificetur; sed tantum postulatur votum Sacramenti quod necesse non est esse actum distinctum ab actu caritatis (cf. Th. X.). Ergo.

VIII. Haec fuit perpetua sententia Patrum. Petrus Chrysolog. Serm. XCIV. « Absolvi vis? ama. Caritas operit multitudinem peccatorum. Negationis crimen quid peius? et tamen Petrus amore solo valuit hoc delere ». Fulgentius De Remissione Peccator. L. I. c. 12. « Quia ingemuit David ex toto corde conversus, continuo salvus factus est; atque ita in eo completum est quod per prophetam praecipitur: si conversus fueris et ingemueris, salvus eris ». Augustinus De Trinit. L. XV. c. 18. « Nullum est isto dono (caritate) excellentius; solum est quod dividit inter filios regni aeterni et perditionis aeternae ». Chrysostomus in II. ad Timotheum hom. VIII. n. 3. « Fundamentum omnium honorum nihil aliud est quam amicitia. In hoc, inquit, pendent lex et prophetae. Sicut ignis, ubi sylvam occupaverit, omnia purgare consuevit, ita caritatis fervor, quocumque inciderit, omnia tollit et excindit, quae divino semini nocere possunt, et terram mundam facit ad excipienda semina. Ubi caritas est, omnia sublata sunt mala ». Bernardus Serm. LXXXIII. in Cant. « Iam vero animae reditus conversio eius ad Verbum, refor-

mandae per ipsum, conformandae ipsi. In quo? in caritate. Ait enim: Estote imitatores Dei sicut filii carissimi et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos. Talis conformitas maritat animam Verbo, cum cui videlicet similis est per naturam, similem nihilominus ipsi se exhibet per voluntatem, diligens sicut dilecta: ergo si perfecte diligit, nupsit ».

Et sane nisi persuasum fuisset Patribus aliquem actum ex opere operantis et proinde saltem caritatem per se iustificare, non censuerint Catechumenos, ex hac vita sine baptismo omissa citra culpam, excedentes, posse esse salvos: oportuit enim eos per opus operantis fuisse iustificatos, quod quidem opus dicitur desiderium baptismi, sed huiusmodi desiderium, nisi sit coniunctum cum aliquo actu perfectiore, cuiusmodi est certe actus caritatis, concipi nequit quomodo valeat iustificare; nam desiderium solum, ut iam in superioribus advertimus, nequit iustificare: porro nullus est actus perfectior caritate; et certe si illud desiderium valet, valebit quoque actus caritatis illud continens eoque perfectior. Cf. Ambrosium in Orat. in obitu Valentiniani nn. 51. 52. 53. et s. Bernardum Tract. ad Hugonem Victorinum De Baptismo aliisque quaestionibus ubi c. 2. eam sententiam auctoritate August. (De Bapt. L. IV.) et Ambrosii (orat. cit.) diserte et luculenter probat. Huc forte referri potest canon 79. Conc. Carthag. 4.¹ « Poenitentes, qui attente leges poenitentiae exsequuntur, si casu in itinere vel mari mortui fuerint ut eis subveniri non possit, memoria eorum et orationibus et oblationibus commendetur ». Diximus forte: nam non constat an sermo sit de poenitentibus, qui nondum sacramentaliter absoluti fuerint, quorum perfecta contritio praesumeretur; nam et absolutis secreto poenitentibus, si ii deinceps poenitentiae canonicae cursum explere neglexissent, poterat id ratio esse Patribus africanis ut eorum memoriam ab orationibus publicis et oblationibus excluderent.

Contra sententiam probatam Ambrosio afferri potest doctrina Fulgentii et Nazianzeni. Ille enim epistola 12. ad Ferrandum disputans de adolescenti catechumeno, qui omnia expleverat, quae a catechumenis exigebat Ecclesia, cum vero iam baptizandus esset, violentis febris correptus sensum amiserat et in extremo halitu constitutus, sine voce, sine motu, sine sensu, nihil valens sacerdoti interroganti respondere, baptizatus fuerat: decernit quidem Fulgentius (n. 19) illum valide baptizatum fuisse; « quia credisse et confessum fuisse novimus, ideo per Sacramentum baptismatis salvum fuisse firmamus ». Subdit tamen: « qui si non baptizaretur, non solum nesciens, sed etiam sciens nullatenus salvaretur; via enim salutis fuit in confessione, salus in baptismate. Nam in illa aetate non solum ei confessio

sine baptimate nihil prodesset, sed nec ipsum baptismus non credenti neque confidenti proficeret ad salutem ». Eodem fere pacto Nazianzenus orat. in s. Baptismum n. 23. loquens de illis, qui citra culpam baptismum suscipere omiserunt, ait quod ii « nec caelesti gloria nec suppliciis a iusto iudice afficiantur, utpote qui licet signati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc iacturam passi potius fuerint, quam fecerint. Neque enim quisquis dignus supplicio non est, protinus honorem quoque meretur... Quin in hunc quoque modum rem expendo. Si eum (arguit ad hominem), qui animo tantum et voluntate, non autem reipsa caedem perpetravit, caedis damnandum putas, sit sane is quoque apud te pro baptizato, qui baptismus, citra baptismi susceptionem, expetivit: sin autem illud non admittis, quoniam pacto hoc admittas, haud sane perspicio ».

Respondemus Fulgentium illud solum supponere in catechumeno, quod ab eo iure requiritur, non caritatem nec contritionem perfectam; doctrinam enim tradit omnibus catechumenis communem. Item Nazianzenus docet quod sola voluntas aut desiderium baptismi non satis est ad iustificationem, quod verissimum est: cum vero huiusmodi negat poena affici, de ea poena loquitur, quae omissioni baptismi deberetur, si ea culpabilis foret.

IX. Communem hac in re Ecclesiae doctrinam proponit Catechismus Romanus De Sacram. Poenit. P. II. n. 34. « Quin etiam statim ut eam (contritionem) mentibus nostris concepimus, peccatorum remissionem nobis a Deo tribui, alio loco eiusdem prophetiae verba illa declarant Psal. XXI, 5. Dixi confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei... ex quo licet cognoscere verae contritionis eam vim esse, ut illius beneficio omnium delictorum veniam statim a Deo impetremus ».

X. Haec est sententia s. Thomae heic a. 1. quo docet contritionem, in quantum est actus virtutis, esse causam remissionis peccati; quia est dispositio utique proxima ad iustificationem: dispositio autem est quasi necessitas formae, quae necessario existere debet, existente proxima dispositione; dispositio autem, quae disponit subiectum ad recipiendum reducitur ad causam materialem, et sic contritio est causa remissionis. Additur theologica ratio ostendens convenientiam huius efficacie, quae contritioni perfectae adseritur. Quemadmodum enim amicitia divina amittitur per peccatum, quod est aversio actualis hominis a Deo, ita videtur ut per actualem conversionem hominis ad Deum, quae perfecta sit, tolli debeat effectus illius aversionis, et amicitia redintegrari. Dicimus convenientiam ostendi; quia reapse Deus non tenetur offensori suo amicitiam suam

restituere, etsi ille perfecto amore cum diligit; neque enim hic amor est compensatio sufficiens iniuriae.

XI. Difficultates fieri possunt multipliciter, et primo quidem contra ipsum argumentum petitum ex Scripturis. Nimurum probatum est cum actu caritatis coniunctam infallibiliter esse remissionem peccati, quia in Scripturis dicitur diligens Deum vel poenitens ex toto corde, diligi a Deo et iustus esse. Atqui haec consequentia non valet; nam etiam fidei ex. gr. tribuitur iustificatio, et tamen nemo rite colligit solam fidem esse dispositionem proximam ad iustificationem, sed subintelligitur, si cetera adsint; atque hic est mos loquendi Scripturarum ut causae alicui partiali adserat totum effectum. Cur ergo non licebit eodem modo interpretari testimonia allata, ut caritas sit quidem dispositio aliqua ad iustificationem, sed non sola, aliaeque subintelligi debeant, quae alibi in Scripturis memorantur, puta Sacramenti Poenitentiae susceptio? Et sane nonne requiritur actus poenitentiae, qui tamen non significatur, cum solius caritatis sit mentio?

Respondeo: ea quae subintelligi possent, vel sunt quaedam, quibus ex opere operantis se disponat homo ad iustificationem, vel sunt quaedam, quibus ex opere operato eam assequatur. Huius posterioris generis non est nisi Sacramentum: porro sine actuali susceptione eius posse iustificationem obtineri liquet ex doctrina Patrum communique Ecclesiae sensu quod votum eius sufficiat, cum actu haberi nequit. Praeterea (ut omnem casum comprehendamus) efficacia caritatis in N. T. nequit esse minor ac in V. T. (arg. 3. ex Script.) porro in T. V. ipsa citra opus operatum producebat effectum: ergo perperam ad eiusdem efficaciam aliquod opus operatum actu existens postulatur. Prioris generis erunt ii actus, quibus homo aliquo modo convertitur ad Deum: porro isti vel sunt actus perfectiores actu caritatis, vel imperfectiores. At perfectiores nulli sunt: erunt ergo actus imperfectiores. Huiusmodi autem actus vel ab ipsa caritate iam praesupponuntur necessario, ut actus fidei et spei, vel ipsam caritatem necessario comitantur, actusque esse possunt caritatis, ut timor filialis et detestatio peccati. Iam vero subintelligentia priorum nihil nocet conclusioni nostrae, iam enim adesse censentur existente caritate, quae sine eis esse non posset; neque nocet subintelligentia posteriorum, quae nihil novi ponit necessario praeter caritatem. Itaque non quotiescumque alicui causae adseritur in Scripturis effectus aliquis, nullius alterius causae facta mentione, ea causa dicenda est totalis causa et sufficiens illius effectus: verum cum effectus est iustificatio, qui effectus actui hominis adseritur, atque actui perfectissimo, qui iam supponit vel in se con-

tinet quoscumque alios, qui postulari possent, quique post institutionem alicuius ritus sensibilis pro eodem effectu producendo censeri nequit, ex ipsa doctrina Scripturarum, minoris efficaciae quam fuerit ante institutum illum ritum; tunc licebit quidem cogitare praeter eum actum requiri usum alicuius ritus instituti divinitus, ita tamen ut sufficiat votum eiusdem; alios vero actus requiri praeter ipsum, aut eos, qui iam cum ipso intelliguntur, non licebit cogitare. Porro votum Sacramenti non est actus distinctus a caritate; qui enim Deum diligit vultque eius honorem et gloriam, vult profecte facere quod Deus instituit et praecepit. Ipsaque detestatio peccati a diligente Deum suaque peccata cogitante ex amoris motivo sponte elicitur, et est actus caritatis, vel a caritate imperatur, neque deesse potest, si adest vera caritas. Poenitentia vero sufficiens vel formalis vel virtualis esse potest.

Obiicitur ex Scripturis. Cum Paulus Christi voce conversus est, actum perfectae caritatis certe elicuit; nihilominus Ananias accedens ad ipsum, inquit ei: Exurge et baptizare et ablue peccata tua. Act. XXII, 16. Cornelio pariter homini religioso et timenti Deum baptismus collatus est utique in remissionem peccatorum. Act. X.

Ex Patribus vero Augustinus affirmit Tract. XIII. in Ioann. n. 7. quod « quantumcumque catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniuritatis portat; non ei dimittitur nisi cum venerit ad Baptismum ». Et lib. II De Peccator. meritis et remis. c. 26. ait, quod « sanctificatio catechumeni (per signum crucis et oratione manus impositionis), si non fuerit baptizatus, ei non valet ad intrandum in regnum caelorum aut ad peccatorum remissionem ». Et Concilium Arausicanum II, cp. ultimo docet quod « Deus nullis praecedentibus meritis fidem et amorem sui prius inspirat ut et baptismi Sacramentum fideliter requiramus et post baptismum quae ipsi sunt placita implere possimus ». Ergo in omnibus adultis praecedit semper baptismum amor Dei, non vero semper remissio peccati; alioquin non esset baptismus in remissionem peccatorum.

Et sane nonne etiam contritis necessarium est Sacramentum Poenitentiae pro Eucharistiae susceptione? Trid. Sess. XIII, cp. 7. Nonne si contrito perfecta iustificat, frustra contritis administraretur Sacramentum Baptismi et Poenitentiae?

Respondeo ad 4.^m Dato quod s. Paulus iam conceperit actum perfectae caritatis, quod quidem non est de fide; Ananias tamen recte iis verbis est usus; nam more humano locutus est, ipsi enim certo non constabat iste actus caritatis Pauli, iisque verbis per se significavit effectum Sacramenti, quem cum aliquis primo consequi dicitur, subintelligitur semper conditio nisi iam alio medio idem effectus sit

obtentus; ita tamen ut etiam tum ei vere conferatur remissio peccatorum, quae pluries repeti potest; atque ita amplius quis ablui potest a peccato (Psal. L. 3). Id et in Cornelio valere potest.

Rursus advertendum est quod baptismus non est tantum necessarius pro remissione peccatorum, sed etiam ut homines incorporentur mystico Christi corpori, quod est Ecclesia, fiantque participes ceterorum Sacramentorum. Unde etsi nullum sit peccatum, adhuc necessarius est baptismus. Id rursus pro facto Cornelii, atque etiam Pauli valere potest.

Ad Augustinum quod spectat, in priore loco loquitur reapse de iis, quos non supponit caritate fervere; ratione enim redditu cur Christus voluerit baptizari, subdit « ad hoc enim exemplum praebuit D. N. I. C. ne quis arrogans eo quod habeat abundantiam alicuius gratiae dedignaretur baptizari baptismu Domini; quantumcumque enim etc. ». Porro in huiusmodi hominibus nequit concipi vera et perfecta caritas: ideoque de iis recte affirmatur quod Augustinus subiicit. Ceterum id Augustinus generatim docet, baptismum esse necessarium, ab eiusque obligatione non solvi qui ex opere operantis sint sanctificati, ideoque eius voluntariam omissionem reatum culpae inducere, (*nisi venerit, h. e. si contempserit venire*) non quidem priorem, qui dimissus sit, sed similem priori quoad effectum, qui est inimicitia Dei et poena aeterna.

Sane haec Augustinus habet in L. IV. De Baptismo c. 22. « Baptismi vicem aliquando implere passionem, de latrone illo, cui non baptizato dictum est: *Hodie tecum eris in Paradiso*, non leve documentum beatus Cyprianus assumit. Quod etiam atque etiam considerans, invenio non tantum passionem pro nomine Christi id, quod ex baptismō deerat, posse supplere, sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest... quantum itaque valeat etiam sine visibili Sacramento baptismi, quod ait Apostolus: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem, in illo latrone declaratum est: sed tunc impletur invisibiliter, cum ministerium baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit ». In Retract. vero improbat quidem usum exempli a latrone sumpti, ut minus idonei, nullatenus vero doctrinam. Quoties ergo Augustinus docet catechumenum in peccato semper esse donec baptizetur, vel eos considerat tantum secundum ea, quae in ipsis requiruntur pro susceptione licita baptismi, vel de iis loquitur, qui contemnunt Sacramentum.

Adverte praeterea rationem habere Patres non solum praesentis iustificationis, sed et aeternae salutis consequendae, quam non con-

sequitur qui licet caritate iustificatus omittit culpabiliter sacramentum. Hinc est ea conditio quae apponitur: *si articulus necessitatis exclusit ministerium baptismi.*

Alter locus ad rem non facit, sanctificatio enim catechumeni, de qua Augustinus ibi loquitur, ea est, quae externis ritibus et ceremoniis ab Ecclesia institutis peragebatur.

Ad auctoritatem Concilii Arausicanii dicendum quod amor ibi accipitur quemadmodum frequenter caritas penes Augustinum, quae non est semper amor perfectus Dei, quae tamen sufficit ad requirendum baptismum. Accipitur nempe amor sub conceptu confuso determinabilis ex adjunctis sermonis.

Quod vero Tridentinum statuit, cum sit exceptio regulae, probat contrarium; non enim pro aliis suscipiendis Sacramentis, pro quibus status gratiae requiritur, exigunt confessio et absolutio, sed sufficit contritio perfecta. Unde mirum est adeo adversarios in hoc arguento exultare. Nec frustra iam vere contritis administratur tum Sacramentum baptismi tum Sacramentum Poenitentiae, nam et oportet exsecutioni mandari votum illud, sine quo nec remissio prius data fuisset, et oportet per baptismum hominem Ecclesiae incorporari, et per poenitentiam accipi directam remissionem peccatorum: oportet nempe illud facere, cuius adhuc obligatio manet.

Difficultas petita ex cp. 6. Sess. VI. Conc. Trid. solvetur inferius opportuniore in loco.

THESIS XXIV.

(q. v. a. 3.)

Ut perfecta contritio et caritas iustificet, non postulatur I quae-dam certorum graduum intensitas, aut II certi temporis du-ratio; sed III dummodo sit in sua specie perfecta, iustificat ante Sacramenti susceptionem et quidem semper, non tantum in mortis articulo vel in casu necessitatis deficiente copia Sacra-menti aut accidente martyrio.

I. Refert Suarez D. IV. triplicem sententiam eorum, qui certum gradum intensitatis in contritione requirebant, ut esset proxima dispositio ad iustificationem. Prima est eorum, qui exigebant summam intensitatem, quam homo exhibere potest per totum conatum sibi possibilem. Est sententia Hadriani in IV. q. 2. De Poenitentia. Altera est illorum, qui volebant maximam intensionem, non quidem absolute, sed comparative, idest ut homo doleat de peccato maiori intensione, quam de quolibet alio malo et quam diligit quodlibet

creatum bonum. Ita Petrus Soto lectione 14 et 15 De Poenitentia. Tertia sententia, quamvis non requiratur summa intensio, vult requiri certum aliquem gradum intensionis, quem Deus novit: pro qua tamen sententia nullum certum auctorem se agnoscere testatur Suarez. Ex recentioribus quoque, qui attritionem negant sufficere cum Sacramento, negant quoque quamlibet contritionem ex caritate conce-pitam dispositionem esse proximam ad iustificationem, sed certam secundum gradus intensitatis contritionem exigunt, robustam, per-fectam; volunt enim veram in sua specie caritatem tum imperfectam (quam inchoatam caritatem appellant), tum perfectam (quam intensam caritatem vocant) esse posse, et hanc tantum, non illam iusti-ficare. Ita Gaspar Iuenin Comm. hist. et dogm. de SS.^{is} De Poe-nitentia q. IV, c. 4. Merbesius Summa Christiana. De Poenit. Diss. IV. q. 13. Berti De Theolog. discipl. lib. XXXIV. c. 5. Le Drou De Con-tritione et Attritione Dissertationes quatuor Diss. IV. c. 2. Gaz-zaniga Praelect. theolog. Tom. IX. Diss. VI. c. 5. prop. 1. et c. 7. a. 3. Inter omnes eminent Christianus Lopus in dissertat. Dogmatica De Con-tritione et Attritione c. 7. docens quod « caritas, quae sine actuali Sacramento hominem catechumenum aut poenitentem infalli-bili lege donet remissione peccatorum easque vires etiam contritioni communicet, est sola caritas perfecta, quae vivit patienter, de-lectabiliter moritur et omnem rerum creatarum adfixivum amorem in nobis extinguit ».

Est pariter sententia Scoti in IV. D. XIV. q. 2. actum, qui est contritio, non habere rationem contritionis, nisi prius aliquo tempore duret, quod tempus taxatum est a Deo.

¶ Anonymus auctor, quem Bellarminus refellit De Poenit. L. II. c. 13. ipse est Baius, qui (cf. eius propos. 71. citatam in Th. praeced.) negabat contritis contritione ex caritate concepta remitti pec-cata aut reatum poenae aeternae, absque actuali susceptione Sacra-menti Baptismi vel Poenitentiae, nisi forte in mortis articulo. Pariter Estius in 4. D. XVII. §. 2. negat contritionem perfectam iustificare semper ante susceptum sacramentum, sed aliquando tantum id fieri concedit.

II. Quatuor sunt praemonenda 1.^a Distinguenda est remissio cul-pae a remissione culpae et totius poenae simul. Item distinguenda est consecutio remissionis culpae, quae sit deinceps stabilis, constans aduersus tentationes, perseverans, aeternamque salutem consequens, a simplici consecutione remissionis. Haec vero omnia confundunt more suo Theologi non pauci sec. XVII et XVIII ut Iueninus cum citatis superius alisque, qui sua aetate magnam sibi laudem penes suos pepererunt, cum, ut ostendant necessitatem, pro obtinenda iu-